



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Crisis Theologica

Cárdenas, Juan de

Sevilla, 1687

Lector Benevole.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75689)

LECTOR BENEVOLE.



Precis te moror. Authorem huius operis nosti P. Ioannem de Cardenas, Hispalensem, natalibus illustrem, virtutibus clarissimū, omni doctrinæ luce conspicuum. Qui Societati Iesu à puero adscriptus in eā ad omnem virtutem conformatus est, quarum per diuturnum vitæ spatium nobilia dedit exempla. Eloquentia, Philosophiā, Theologiāque apprimè excultus, ingenio assiduāque lectione in virum evasit sane Doctum, Sapientemque. Prudentiam, imperandi Artem, ostendit tum Marcenensī Collegio, tum Hispalensi, deinde in Domo Probationis Rector, in Professorum Domo Præpositus, & demum Boethicæ Provincialis. Eum ad suorum filiorum institutionem expetivit Exc. D. D. Rodericus Poncius de Leon Dux de Arcos, qui per multos annos P. Ioannis de Cardenas consilij ad difficiliora negotia tractandā vius est. Eum deinceps, & suum Theologum nuncupavit, & sibi à confessionibus esse voluit incomparabilis Præsul D. D. Ambrosius Ignatius Spinola, & Guzman, cuius eximia perfectio multum tanti Magistri, Ductorilquè Sapientiæ debuit. Et qui secessum, & litteras semper amaverat, postremis hęcce annis se totum illis tradidit; quin tamen confessionibus, ministerijquè Societatis, quibus animarum salutem procurat, se subtraheret. Intima illi cum Deo conversatio, cum B. Virgine dulcis, ac frequens allocutio, cum S. P. N. Ignatio fervens, ac plane filialis devotio.

Longum esset per omnia decurrere. Id noveris, Vitæ integritate, Modestriā, Candore, Humilitate, Ingenij Acumine, Sensuum Profunditate, Rationum pondere, Eruditionis copiā inter Magnos, ac præcellentes viros meritò recensendum. Obijt prope septuagenarius die 6. Iunij ann. 1684. Plura sunt eius Ingenij monumenta.

1. Geminum Sydus Mariani Diadematis, sive duplex disputatio de infinitā Dignitate Matris Dei, & eius gratia simpliciter infinita. Lugduni ann. 1673.
2. Crisis Theologica, in qua plures Morales quæstiones enodantur. Opus doctissimum, & vtilissimum. Tribus tomis, duo primi editi sunt Lugduni anno 1670. tertius Hispali ann. 1680.
3. Crisis Theologica in qua propositiones damnatæ à SS. D. N. Innocentio XI. explicantur. Ibidem ann. 1687.
4. Hispanò Idiomate edidit Vitam V. V. Damianæ de las Llagas. Hispali an. 1675.
5. Vitam D. Michaëlis Mañara Hispalensis Nobilis, Virtutis fama notissimi. Ibidem ann. 1682.
6. Septem Meditationes de Christo Crucifixo. Ibidem ann. 1678.
7. B. Ignatij de Loyola Novennales preces, & Coronam Hispanice. *La Novena*. Ibidem 1679.
8. Possimus etiam numerare quam plurima Edicta, Eloquentia Sacra, pietate, ac gravitate plenissima, quibus Oves suas Illustriss. D. Ambrosius Ignatius Spinola, & Guzman, Hispalensis Archiepiscopus, pro temporum varietate exhortatus est: quæ nostri Authoris opera, & labore confecta sunt; sicut & plura alia minuriore pietati alendæ aptissima. Necnon Morales Resolutiones, ex quibus iustum confici Volumen posset, doctrinæ varietate, casuum difficultate, & sapienti enodatione gratissimas futuras; quas Authoris obitu amisimus. Vale.

DECRE-